



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 2. De scientia beatifica Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

sionis. *Resp. ad 3.* ibi agi de gloria corporis Christi, quæ Christo debita fuit à primo instanti conceptionis ejus, non solum propter gloriam animæ, quam tunc habuit, sed etiam ratione unionis hypostaticæ: attamen divinitus factum est, ut Christus propter redemptionem nostram illa careret tempore vitæ mortalis.

PROPOSITIO VII.

Christus, ut homo, habuit scientiam supernaturalem, à scientia beatifica distinctam, & habuit illam à primo instanti conceptionis.

Prob. 1. pars. Quia Christus fuit simul comprehensor & viator. Ergo sicut habuit scientiam propriam comprehensoris, nempe visionem beatificam, ita habuit scientiam propriam viatoris, nempe scientiam supernaturalem, diversam à visione beatifica, ut modo magis consentaneo statui viatoris, actus viatoris supernaturales ac meritorios exercere posset.

Prob. 2. pars. Quia 1. Christus à primo instanti conceptionis suæ fuit simul perfectè viator & comprehensor. Ergo sicut à primo instanti conceptionis habuit scientiam propriam comprehensoris, ita, &c. 2. Christus à primo instanti conceptionis suæ, actum meritorium exercuit, juxta illud Apostoli ad Hebræos cap. 10. *Ingrediens mundum, dicit: Hostiam & oblationem nolui: corpus autem apasti mihi tunc dixi: Ecce venio.* Atqui talem actum non exercuit sine cognitione supernaturali, ad statum viatoris accommodata. Ergo, &c.

PROPOSITIO VIII.

Christus, ut homo, habuit scientiam naturalem.

Prob. Quia Christus, ut homo, omnem habuit perfectionem animæ rationali connaturalem. Sed talis est scientia naturalis & humana. Ergo, &c. Præterea, ea scientia est magna naturæ humanæ perfectio, nullam habens imperfectionem, unioni hypostaticæ, vel statui beatitudinis repugnantem. Ergo non est ratio, cur Christo, ut homini, non concedatur.

Christus igitur habuit 1. scientias & artes omnes, quoad omnes conclusiones evidentes, quæ lumine naturali haberi possunt: in aliis verò rebus, in quibus lumen naturale attingere non potest evidenciam, Christus attingit rationes omnes probabiles, vim luminis naturalis non excedentes, per quas tamen non de veritate opinionum, sed de earum probabilitate judicabat. 2. Christus habuit cognitiones omnes naturales evidentes, quarum aliæ experimentales sunt, quia in experientia sensuum fundantur, & verantur circa singularia, quæ attinguntur per sensus; aliæ verò sunt conclusiones, ex propriis principiis, lumine naturali evidenter notis, deductæ. Per inditatas denique species, cognitiones omnes habuit animæ separatæ ac beatæ connaturales, ut infra probabitur.

ARTICULUS II.

De Scientia beatifica Christi.

PROPOSITIO I.

Scientia beatifica Christi, ut hominis, est ejusdem speciei cum scientia beatifica aliorum beatorum, sed perfectior ac intensior, quam in omnibus aliis, tam hominibus, quam Angelis beatis.

Prob. 1. pars. Nam 1. gratia habitualis Christi est ejusdem speciei cum nostra, adedque lumen gloriæ, cujus semen est gratia habitualis, est ejusdem speciei in Christo & aliis beatis. 2. In Scriptura promittitur nobis consortium ejusdem beatitudinis cum Christo, juxta illud Apostoli Romanorum cap. 8. *Heredes Dei, coheredes autem Christi.* Ergo, &c.

Prob. 2. pars. 1. Ex Scriptura: nam Ephesiorum cap. 7. dicitur: *Suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in celestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & domi-*

nationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Ex quo textu & aliis similibus, evidenter colligitur, Christum, ut hominem, in gloria sublimiorem esse omnibus aliis, tam hominibus, quam Angelis beatis; Sed, inquit sanctus Thomas hic quæst. 10. art. 4. in Sed contra, in illa celesti gloria tantò aliquis est superior, quanto perfectius cognoscit Deum. Ergo anima Christi perfectius videt Deum, quam quævis alia creatura.

Prob. 2. Ex S. Thoma art. citato in O. ubi sic discuitur: *Dicendum quod visio divine essentie convenit omnibus beatis, secundum participationem luminis derivati in eos à fonte Verbi Dei Huic autem Verbo Dei propinquius conjungitur anima Christi, quæ est unita Verbo in persona, quam quævis alia creatura. Et ideo plenius recipit influentiam luminis, in quod Deus videtur ab ipso Verbo, quam quæcumque alia creatura, & ideo præ ceteris creaturis perfectius videt ipsam primam veritatem, quæ est Dei essentia.*

Prob. 3. Ratione. Nam 1. gratia sanctificans perfectior & intensior est in Christo, ut homine, quam in omnibus aliis, tam hominibus, quam Angelis beatis. Ergo & perfectior, ac intensior est gloria: nam hæc commensuratur gratiæ habituali, quæ idcirco semen & mensura gloriæ dicitur. 2. Ad Christi, ut hominis, de quo Ephes. cap. 1. dicitur: *Omnia subiecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, dignitatem manifestè pertinet, ut perfectius videat Deum, quam omnes alii, tam homines, quam Angeli beati, atque ita illis in celesti gloria sublimior sit.*

Addo, scientiam beatificam in anima Christi propter rationes allatas non solum tantam esse, quanta esse potest de potentia ordinaria visio Dei intuitiva, sed etiam perfectiorem esse, quam in omnibus aliis, tam hominibus, quam Angelis beatis, simul sumptis: quod probatur, 1. ex eo quod Christo, ut homini, non est data minor scientia beatifica, quam si data ei esset intuitu meritorum ejus; immò re ipsa sic datam esse, probabilissimum est. Sed merita Christi omnium aliorum, tam hominum, quam Angelorum beatorum merita, simul sumpta, longè excedunt. Ergo, &c.

2. Christo, ut homini, data est scientia beatifica propter sanctitatem substantialem, quæ longo intervallo superat sanctitatem omnium aliorum, tam hominum, quam Angelorum sanctorum, simul sumptorum. 3. Denique, in humanitate Christi donis gratiæ & gloriæ exornanda, habitæ est ratio infinitæ dignitatis personæ Verbi, adedque dona gratiæ & gloriæ, quæ aliquam cum infinita Verbi dignitate proportionem haberent, collata sunt humanitati Christi. Quibus momentis faciliè inducimur ad credendum, scientiam beatam Christi, ut hominis, sicut & alia ejus dona supernaturalia, infinitè propè excedere scientiam beatam, & alia supernaturalia dona omnium aliorum, tam hominum, quam Angelorum beatorum, simul sumptorum.

PROPOSITIO II.

Christus tamen, ut homo, non cognoscit actum in Verbo, omnia quæ continentur in omni potentia divina.

Ita sanctus Thomas hic quæst. 10. art. 1. in O. & *Prob.* Quia si Christus, ut homo, actu cognosceret in Deo possibilia omnia, ita ut Deus clarè visus Christo, ut homini, esset ratio cognoscendi omnia possibilia, Christus, ut homo, comprehenderet Deum: nam ut rectè ait sanctus Augustinus in Epistol. 112. cap. 8. *Totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus videntem lateat.* Christus autem, ut homo, actu cognoscens in Deo possibilia omnia, cognosceret actu quidquid est in Deo formaliter, virtualiter, & eminenter, sicque nihil eorum, quæ in Deo sunt, lateret illum, ac proinde Deum comprehenderet. Atqui hoc

hoc repugnat: nam repugnat Deum comprehendere intellectu creatura, adeoque finita, qualis est intellectus Christi, ut hominis. Ergo, &c.

Obj. illud ad Coloss. cap. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientie & scientia absconditi.* R. verba illa intelligenda esse de Christo, ut Deo. Quod si tamen intelligantur de Christo, ut homine, ad eorum veritatem sufficit, ut Christus, quia homo, omnem habeat sapientiam & scientiam, quæ de potentia ordinaria haberi potest à creatura.

Dices. Est quod Christus, ut homo, non cognoscat actu in Deo possibilia omnia, aliter cognoscit habitu; ita ut per visionem beatificam possit pro arbitrio actu cognoscere in Deo modò hæc, modò illa. *Resp. neg.* Ratio est, quia visio beatifica in omni subiecto, in quo reperitur, semper est in actu secundo, & semper eadem, nec potest variari. At si anima Christi modò hæc, modò illa possibilia pro arbitrio actu cognosceret in Deo viso; variaretur in ea visio Dei, non solum respectivè ad possibilia, sed etiam respectivè ad ipsum Deum, qui ut visus, esset ei ratio possibilia actu cognoscendi. Præterea, hæc visio in anima Christi modò intenderetur, etiam respectivè ad Deum, quando scilicet plura possibilia actu cognoscerentur; modò remitteretur, quando cognoscerentur pauciora; sicque anima Christi modò magis, modò minus esset beata.

PROPOSITIO III.

Christus, ut homo, actu cognoscit in Verbo possibilia omnia, quæ continentur in potentia creaturarum, pro aliqua temporis differentia existentium, sive singulatim, sive simul sumptarum.

Prob. ex S. Thoma hic q. 10. a. 2. in O. cuius hæc sunt verba: *Quædam verò (possibilia) sunt non solum in potentia divina, sed etiam in potentia creaturæ (pro aliquo tempore existentis) & huiusmodi omnia scit anima Christi in Verbo.* Comprehendit enim in Verbo omnia creaturæ (pro aliquo tempore existentis) essentialia, & per consequens potentiam & virtutem, & omnia, quæ sunt in potentia creaturæ (existentis pro aliquo temporis differentia.)

Dices. Ergo anima Christi in Verbo actu cognoscit infinita: nam possibilia, quæ in potentia creaturarum, pro aliquo tempore existentium, continentur, sunt infinita. R. cum S. Thoma hic q. 10. art. 3. in O. ubi sic ait: *Quantum, ad alium modum sciendi, anima Christi in Verbo scit infinita: scit enim omnia, quæ sunt in potentia creaturæ (supple semper, aliquando existentis) unde cum in potentia creaturæ sunt infinita, per hunc modum scit infinita, quasi quadam scientia simplicis intelligentiæ, non autem scientia visionis.*

Dices. Ergo anima Christi habet scientiam infinitam: nam illa scientia est infinita, quæ cognoscit infinita. R. neg. conseq. Ad probationem distinguo. Illa scientia est infinita, quæ cognoscit infinita immediate in se ipsis, C. nam talis scientia virtualiter in se continet gradus intensiōis aliarum cognitionum plurium & plurium, ac intensiorum & intensiorum in infinitum: continet enim in se gradus intensiōis cognitionis, quæ cognoscerentur quatuor possibilia, & alterius cognitionis, quæ cognoscerentur octo, & sic in infinitum. Illa scientia est infinita, quæ infinita cognoscit mediata, & in uno aliquo principio finito, in quo sunt connexa; & prout in eo sunt connexa, N. Nam ad infinita cognoscenda mediata, & in uno aliquo principio, in quo connexa sunt, satis est, si comprehendatur principium illud; & ad comprehendendum principium finitum, lumen finitum, & cognitio finita sufficiant.

Porò anima Christi per scientiam, quæ cognoscit infinita, quæ in creaturæ existentis potentia continentur, non attingit illa immediatè in se ipsis, seu in propria specie, sed solum mediata, & in uno principio finito, in quo sunt connexa, nempe in potentia creaturæ, quam comprehendit in Verbo, finitè cognito: quare scientia illa simpliciter finita est.

Simonet Theol. Tom. II.

Dices. Si anima Christi cognoscit infinita, datur aliquid majus infinito: Deus enim plura cognoscit, quam anima Christi. Sed infinito non potest esse aliquid majus. *Resp.* non posse esse aliquid majus infinito in omni genere: unde non potest esse aliquid majus Deo. At infinito secundum quid determinato, seu in aliquo tantum genere, non potest quidem esse aliquid majus in illo ordine, sed potest esse aliquid majus extra illum ordinem. Sic in speciebus numerorum parium, quæ sunt infinitæ, non est aliquid majus infinito; nam in numeris paribus non est aliquid ultra infinitum accipere; idem dic de speciebus numerorum imparium, quæ etiam sunt infinitæ. At si species numerorum parium cum speciebus imparium sumptis, habebis aliquid majus infinito, nempe speciebus numerorum parium: nam numeri pares cum imparibus plures sunt, quam pares.

Similiter in possibilibus, quæ continentur in potentia creaturæ aliquando existentis; & sunt infinita, non est aliquid majus infinito: nam in illis possibilibus non est aliquid ultra infinitum accipere. At si possibilibus illis alia possibilia infinita, quæ in omnipotentia divina continentur, adjungas, habebis aliquid majus infinito, possibilibus scilicet illis, quæ continentur in potentia creaturæ, aliquando existentis. Igitur anima Christi cognoscit infinitum, sed Deus cognoscit majus infinitum: anima Christi cognoscit infinita, & tamen Deus plura cognoscit. Vide S. Thomam hic quæst. 10. art. 3. ad 3.

PROPOSITIO IV.

Christus, ut homo, videt simul & actu in Verbo, omnia quæ videt Deus scientia visionis.

Ita sanctus Thomas hic q. 10. art. 2. in O. & probatur: quia ut ait S. Doctor, quilibet beatus cognoscit in Verbo omnia, quæ ad ipsum spectant. Atqui omnia, quæ Deus videt scientia visionis, spectant ad Christum, quia hominem, quia qua talis, est iudex omnium constitutus, illuminator cordium, & caput Angelorum & hominum, eique proinde omnia, quæ videt Deus scientia visionis, sunt subiecta. Ergo, &c. Christus igitur, ut homo, videt in Verbo simul & actu omnia præterita, præsentia, & futura usque ad diem iudicii inclusivè, atque insuper cogitationes omnes hominum, & Angelorum, futuras per totam æternitatem.

Obj. 1. Si anima Christi sciret in Verbo omnia, quæ Deus ipse scit scientia visionis, scientia animæ Christi æqualis esset scientiæ divinæ. Falsum conf. Ergo, &c. *Resp. neg. seq. maj.* Nam scientia divina, adæquate sumpta, & ut est in se, non solum est scientia visionis, sed etiam scientia simplicis intelligentiæ: unde scientia divina, adæquate sumpta, & ut est in se, in infinitum excedit scientiam animæ Christi, etiam quoad multitudinem eorum, quæ cognoscuntur.

At inquit. Saltem scientia animæ Christi æqualis esset scientiæ divinæ, præcisè sumptæ. quæ scientia visionis est: quantitas enim scientiæ attenditur secundum quantitatem scibilem. R. neg. seq. & ejus prob. Nam ut dicit S. Thomas art. citato ad tertium: *Quantitas scientiæ non solum attenditur secundum numerum scibilem, sed etiam secundum claritatem cognitionis: quamvis igitur scientia animæ Christi, quam habet in Verbo, parificetur scientiæ visionis (sumptæ præcisè, quæ scientia visionis est) quam Deus habet in se ipso, quantum ad numerum scibilem; scientia tamen Dei (etiam præcisè sumpta ut scientia visionis) excedit in infinitum, quantum ad claritatem cognitionis, scientiam animæ Christi, quia lumen increatum divini intellectus in infinitum excedit lumen creatum quodcumque, receptum in anima Christi.*

Atqui inquit iterum. Saltem anima Christi comprehenderet scientiam visionis. R. neg. seq. Nam scientia visionis non comprehenditur, nisi cognoscatur adæquate, ut est in se, & à parte rei, adeoque adæquate cognoscatur, ut est scientia visionis, & simplicis

Mm

intel-

intelligentiæ. Anima autem Christi, simul & actu videns in Verbo omnia, quæ videt Deus scientia visionis, dato quod scientiam divinam adæquatè cognoscat præcisè sumptam, ut est scientia visionis, saltem non cognoscat illam adæquatè sumptam simul ut est scientia visionis, & simplicis intelligentiæ; cum non eam adæquatè cognoscat, etiam præcisè sumptam, ut est simplicis intelligentiæ scientia.

Obj. 2. Si anima Christi videt in Verbo omnia, quæ Deus scit scientia visionis, anima Christi habet visionem beatam simpliciter infinitam. *Concl.* implicat. Ergo, &c. *R. neg. seq. maj.* Itaque licet anima Christi, videndo in Verbo omnia, quæ Deus scit scientia visionis, videat infinita, nihilominus habet visionem beatificam simpliciter finitam, quia videt illa infinita in Verbo, finitè tantum & limitatè viso; non enim illud comprehendit. Ad cognoscendum autem infinita in uno medio simplici, etiam infinito, sed finitè tantum & limitatè cognito, sufficit cognitio finita & lumen finitum.

Probabis tamen seq. maj. Nam si anima Christi videt in Verbo omnia, quæ Deus scit scientia visionis, visio beatifica animæ Christi continet gradus intensiōis aliarum visionum plurium ac plurium & perfectiorum ac perfectiorum in infinitum. Nego. *Probabis* hoc argumento calculatorio. Ad cognoscendum in Verbo 50. cogitationes futuras Gabrielis, requiritur visio saltem unius gradus. Ergo ad cognoscendum centum, requiritur visio duorum graduum. Ergo ad cognoscendum 200. requiritur visio quatuor graduum, sicque deinceps in infinitum. Ergo visio omnium cogitationum Gabrielis per totam æternitatem futurarum, utpote infinitarum, continet gradus intensiōis visionum aliarum plurium ac plurium, & perfectiorum ac perfectiorum in infinitum. Ergo, &c.

Resp. neg. calculum illum. Nam cum omnes Gabrielis cogitationes, per totam æternitatem futuræ, sint inter se tam connexæ in essentia divina, quæ illarum similitudo est, quam inter se connexæ essent in Gabrielis potentia, si esset ad illas antecedenter determinata, essentia divina clarè visa, quæ similitudo est cogitationum Gabrielis, per totam æternitatem futurarum, omnes ex æquo tam exhiberi videntur, quam potentia Gabrielis, ad illas antecedenter determinata, omnes ex æquo exhiberet intellectui, à quo comprehenderetur.

Igitur sic calculus instituendus est. Ad videndum essentiam divinam, quæ similitudo est cogitationum Gabrielis, per totam æternitatem futurarum, requiritur visio v. g. mille graduum. Ergo ad videndum simul essentiam divinam, quæ similitudo est cogitationum Gabrielis, & quæ similitudo est cogitationum Raphaelis, per totam æternitatem futurarum, requiritur visio bis mille graduum, & ita deinceps, percutiendo omnes Angelos, & homines, qui omnes simul sumpti, sunt quidem numero maximi, sed infiniti non sunt: unde ex calculo resultabit quidem visio perfectissima ac intensissima, sed finita simpliciter, nec Christi dignitatem superans.

ARTICULUS III.

De Scientia supernaturali Christi.

PROPOSITIO. I.

Christus, ut homo, per scientiam supernaturalem cognoscit res naturales, quas Angeli per species inditas cognoscunt.

Prob. Christus, ut homo, res omnes naturales, quas Angeli cognoscunt per species inditas, cognoscit non solum in medio cognito, nempe in Verbo, sed etiam in proprio genere, & quidem altiori modo, quam Angeli cognoscant: hoc enim utrumque ad Christi dignitatem pertinet, eique debetur ratione unionis hypostaticæ. Ergo cognoscit

per scientiam supernaturalem: nam si tantum cognosceret per scientiam naturalem, non cognosceret eam perfectè, quam cognoscunt Angeli: scientia enim naturalis, quæ scilicet animæ rationali, sive conjunctæ, sive separatæ connaturalis est, inferior est scientia angelica, sicut intellectu angelico intellectus humanus est inferior.

PROPOSITIO II.

Christus, ut homo, per scientiam supernaturalem cognovit omnes actus liberos præteritos, præsentis, & futuros, saltem usque ad diem iudicii inclusivè.

Prob. Quia possibilis videtur scientia supernaturalis, quæ actus illos omnes sub objecto suo completatur, & possibiles videntur species per se infusæ, ex natura sua representantes objectum ut existens pro ea temporis differentia, pro qua existit, adeoque ut præteritum, si pro tempore præterito; ut futurum, si pro tempore futuro; ut præsens, si pro tempore præsentis existit. Ergo talis reipsa fuit scientia supernaturalis Christi; cum fuerit in suo ordine perfectissima, & talem fuisse pertinuerit, ad dignitatem & statum Christi, qui non solum ut comprehensor, verum etiam ut viator debuit habere perfectissimam providentiam, & consummatum prophetiæ donum, atque ad docendum perfectissimè dispositus esse: ad hæc autem actuum liberorum, præteritorum, præsentium, & futurorum cognitio necessaria fuit.

Quæres, utrum Christus dici possit per scientiam hanc cognovisse etiam omnes actus liberos omnium hominum & angelorum, per totam æternitatem futuros?

R. dici posse: quia possibilis videtur una species per se infusa, simul representans omnes actus liberos Gabrielis v. g. per totam æternitatem futuros; idem dic de omnibus aliis, tum angelis, tum hominibus: cum enim essentia divina etiam finitè cognita, sit similitudo representans omnes actus liberos Gabrielis, per totam æternitatem futuros, quidni posset esse sub hac ratione participalis? Unde ut Christus per scientiam supernaturalem cognoscat omnes actus liberos omnium angelorum & hominum, futuros per totam æternitatem, sufficere possunt species numero finitæ, atque ita, ut cognoscat etiam simul omnes illos actus, sufficere potest lumen finitum, & attentio finita.

PROPOSITIO III.

Christus, ut homo, per scientiam supernaturalem quidditative & intuitivè cognovit, gratiam, habitus, & actus supernaturales, lumen gloriæ, visionem beatificam, amorem patriæ, & unionem hypostaticam.

Prob. Res supernaturales natae sunt esse objectum primarium alicujus scientiæ. Non scientiæ beatificæ, quia hujus scientiæ objectum primarium est Deus. Ergo alicujus scientiæ inferioris, & per se infusæ, quæ viatoribus communicari potest. Sed talis profectò scientia non defuit Christo; Cum simul fuerit comprehensor & viator perfectissimus. Ergo, &c.

PROPOSITIO IV.

Christus, ut homo, per scientiam supernaturalem cognovit Deum quoad unitatem ejus, omnia ejus attributa essentialia, & personarum trinitatem.

Prob. Quia Christus, ut homo, per scientiam supernaturalem perfectissimè cognovit, ac comprehendit multa, quæ essentialiter habent ordinem ad Deum unum & trinum, ut sunt visio beatifica, & amor beatificus, in quibus proinde per hanc scientiam, Deum ut unum & trinum cognovit indirectè, & abstractivè. Præterea, si Christus per scientiam supernaturalem non cognovisset essentiam divinam, & mysterium Trinitatis, neutrum cognovisset ut viator, & scientia Christi ut viatoris, ex parte objecti fuisset minus perfecta, quam fides nostra. Utrumque consequens absurdum est. Ergo, &c.

PRO.